11

DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICA
De

INFLAMMATIONE
Lateris ſeu Pleuritide,

Quam

D. O. M. F.

DECRETO ET AUTHORITATE

MAGNIFICI & AMPLISSIMI
Celeberrimorum Medicorum
Ordinis,

IN CELEBERRIMA & PERANTIQUA
Rauracorum Univerſitate

Pro

SUMMIS IN ARTE APOLLINEA
Honoribus ac Privilegijs DOCTORALIBUS,
ritè ac ſolenniter conſe-
quendis

Placido Medicorum examini ſubmittit

GORDIANUS Zollikofer,
Sangallo-Helvetius.

Ad d. 3. Decemb. Anno CIƆ IƆC LXXIII.

H. L. Q. C.

BASILEÆ, Typis JACOBI WERENFELSI.

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS,
Excellentiſſimis, Prudentiſſimis

DN. JO. JOACHIMO HALTMEJERO
DN. JOACHIMO KUNCKLERO
DN. OTHOMARO APPENZELLERO } COSS.

DN. BARTHOLOMÆO SCHOBINGERO
Quæſtori & Archiatro.

Cœteriſque Inclutæ Reipub. Sangallenſis P.P.
Piis, Felicibus, Auguſtis.

Magnis dein
Illuſtris Raurac. Athenæi & Eccleſiæ Luminibus:

D.D. JO. HENRICO GLASERO, Facult. Med. p.t. Decano Spectatiſſimo, Anat. & Botanices, Profeſſori Dexterrimo,

D.D. JO. CASPARO BAUHINO, Univerſitatis Seniori graviſſimo, ac Practices, Profeſſori Famigeratiſſimo.

D.D. JO. RODOLPHO BURCARDO, Theoretices Profeſſori dexteritate ſuâ Ampliſſimam Paterni Nominis gloriam æmulanti.

Nec non
Reverendo atque Clariſſimo, Nobiliſſimis, Conſultiſſimis, Integerrimisq; Viris

Dn. M. PETRO WERENFELSIO, Eccleſiæ ad D. Leonhard. Paſtori vigilantiſſimo, Hoſpiti nuper, omni honoris & amoris cultu ætatem mactando.

Dn. JO. MELCHIORI SCHOBINGERO Patri Luſtrico ſemper venerando.

Dn. TOBIÆ SCHOBINGERO, Evergetæ nunquam ſine veneratione memorando.

Dn. JO. LUDOVICO PEYERO, Agnato ex debito ſemper ſuſpiciundo.

Dn. JOACHIMI
Dn. LAURENTII &
Dn. DAVIDIS } ZOLLIKOFERORUM P.M. Dominis Hæredibus, Agnatis colendiſſimis, deſideratiſſimis.

Dn. BARTHOLOMÆO ZOLLIKOFERO, Parenti Optumo, quâ decet pietate ſemper colendo.

Dn. JO. LAURENTIO TANNERO URIENSI, ſubactiori judicio, ac ſolida eruditione, quam vitæ commendat innocentia, maximè commendabili; familiari veluti ſuo intimè colendo.

DNN. Suis Gratioſiſſimis, Proceribus Acad. meritiſſ.
Mœcenatibus & Fautoribus Maxumis

Diſputationem hanc Inauguralem in obſequioſiſſimi animi teſtimonium gratitudinis non deſituræ monumentum, obſervantiæ & amoris integerrimi irrevocabile pignus ſiſtit, conſecrat, dedicat;

GORDIANVS ZOLLIKOFERVS.

Ξ. Θ.

De
PLEVRITIDE VERA.

THESIS I.

Ἡ τῶν ὀνομάτων χρῆσις ταραχθεῖσα, καὶ τὴν πραγμάτων ἐπιταράττει γνῶσιν. *Galen.III. de ſimp. med. facult.* Eſſati hujus memor, ne idem mihi de *Pleuritide* tractaturo contingat, Ejus jure merito ὀνοματολογίαν præmitto. Nominis autem in Pleuritide originem alii ἀπὸ τοῦ πλευροῦ: à latere: alii ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, à coſta, ſive coſtas intus ſuccingente membranâ Pleurâ dictâ, deducunt. *Latinis* atque *Celſo* Morbus & dolor Lateralis, *Plinio* Compunctio Lateralis ſonat. *Germani* **den Stich oder das Seitenſtechen: Item ein Bruſtgeſchwär** vocant.

II. Et cùm vox *Pleuritidis* ſit ἐκ τῶν πολλαχῶς in Medicorum Foro λεγομένων numero, ſcire expedit, ſermonem hîc nobis eſſe, non de ea vocis uſurpatione, quæ *Generalior* eſt, & omnem lateris dolorem, quocunque pectoris in loco conſiſtentem, quacunque causâ ſubortum, cujus ratione Pleuritis ſpuria excitari ſolet, ambitu ſuo comprehendit: Sed de ea, quæ *Propria* magis, dolorem ab inflammatione in Pleura ortum, cujus comes febris & alia inferiùs dicenda, ſignificat, atque adeò Pleuritidem veram deſignat, & noſtri eſt inſtituti.

 III. His

III. His prælibatis dico: *Pleuritis eſt inflammatio Membranæ Pleuræ, & muſculorum intercoſtalium internorum, conjuncta cum dolore pungitivo, febre acuta continua, tuſſi, ſpirandi difficultate pulſuque duro & ſerrato.*

IV. Inflammationem cùm dico, puto me integrum aliquod σύςημα trium ſummorum morbi generum conſtituere. Quatenus enim Pleuritidis eſſentiam in inflammatione colloco, eatenus morbum in intemperie calida pronuncio. Et quia Pars affecta, Phlegmone tentata, molis acquiſivit magnitudinem, ideo morbus auctæ magnitudinis adeſt. Prout verò intemperiem & ametriam dictam, dolor & unitatis ſolutio conſequuntur, ita ſolutæ Vnitatis morbus emergit.

V. *Subjectum* ſive *Pars affecta* Pleura eſt cum muſculis meſopleuriis. Neque enim ut à propoſita ſententia recedam, nonnullorum, qui partim experientiâ, partim loco ex Dictatoris noſtri Libro *de homine*, citato nixi, acriter pro Pulmone in Pleuritide primariò affecto digladiantur, me movet authoritas, neque urgent rationes, quas aliis urgentioribus committo.

VI. *Cauſas*, quas in omni morborum cùm cognitione, tum curatione primùm inquirendas *l. 2. de facult. Nat.* Galenus ſeriò inculcat, quod attinet, eas Præceptoris *l. 1. m. m. c. 8.* placita ſequutus in *Internas* & *Externas* diſpeſco: Et internas in *Continentem* & *Antecedentem* ſubdivido.

VII. *Interna* & *Continens* Græcis συνεκτικὴ dicta eſt ſanguis vel purus, ſincerus, fervidus *Gal. 4. de cauſ. pulſ. c. 12.* bilioſus. *ib.* pituitoſus, melancholicus, ſæpe ſæpius ſeroſus *Sennert. l. 3. prax. ſ. 2. c. 2.* vel aliis humoribus excrementitiis inquinatus, extravaſatus pleutæque impactus, qui ibidem ſtagnando varias corruptionis labes ſubivit.

VIII. *An-*

VIII. *Antecedentis* ſive Προηγουμένης rationem ejuſdem ſanguinis, ſede tamen à præfato differentis, & in vaſis adhuc incluſi, abundantia, vitioſa qualitas & orgaſmus induunt. Huc referri merentur Habitus totius corporis plethoricus, hepatis conſtitutio calida humida, Sanguinis tenuitas & copia eamq; ſubſequēs vaſorum per Ἀναςόμωσιν Διαπήδησιν & Ῥῆξιν apertio: Partis mittentis robur, recipientis imbecillitas, vel nativa, vel adventitia, Temperamentum Totius & partium, & ſi quæ ſunt alia, &c.

IX. *Externæ* Græcis Προκαταρκτικαὶ ſunt, quæcunque vel idoneam ſanguini huic generationis materiam ſubminiſtrare, vel eum jam generatum variè commovere, aptæ natæ ſunt Medicorum Filii eas in *Neceſſarias* & *Fortuitas* dividunt. *Fortuitis* violentam quamque externorum incurſionem. v. g. ictum, lapſum, contuſionem, ſubitam poſt ſudorem, labores, vel balnea, refrigerationem, oneris, cui quis ferendo non eſt geſtationem, &c. accenſent.

X. Inter *Neceſſarias* verò errorem qui in VI. rerum vulgò non *Naturalium* uſu committitur, recenſenr. Sic 1. Aër tam inſpirarione attractus, quàm corpori circumfuſus, qui vel qualitatum immoderatione, vel ſubſtantiæ vitio, vel ſubitâ in alium mutatione peccat, prima morbo noſtro incunabula præbet. Frigidus cumprimis hîc accuſatur, quia τὰ ψυχρὰ τῷ ςήθει πολέμια, βηχέων κινητικὰ, αἱμοῤῥοϊκὰ κλ. V. 24. Hipp. 2. Neque ſegnior cibi potusque vel quantitate excedentium, vel qualîtate vitioſorum in affectu noſtro producendo vis eſt. 3. Retenta p. n. quantum valeant, vel hæmorrhoidum in iis, quibus eæ conſuetæ ſunt ſuppreſſio, vel debiti Lunaris, vel Lochiorum premanatio in mulierculis inhibita, quæ eaſdem Pleuritidi haud ra-

rò obnoxias reddit, abundè teſtantur, 4. Ὕπνος, Ἀγρυπνίη ἀμφότερα, ſicut alibi, ità hîc, τοῦ μετρίου μᾶλλον γενόμενα, κακόν. II. 3. Hipp. 5. Motus corporis vehemens, quo ſpiritus ac ſanguis incaleſcunt, ac rarefacti rapidè per vaſa circumferuntur. multum contribuunt. Et qui violentis exercitiis initis æſtuantes, ſitis levandæ deſiderio frigidam affatim bibunt, illi hunc affectum facilè incurrunt. 6. Animi denique ſic dicta Pathemata, & ex eorum Numero Ira ad affectum hunc producendum eſt efficaciſſima.

XI. Differentias Pleuritidis, vel à *Parte Affecta:* vel à *Cauſis:* vel ab *Adjunctis* deduco. 1. A *Parte Affecta* Pleuritis vel Vera eſt, vel Notha, vel Aſcendens vel Deſcendens. *Hipp. l. 2. de vict. rat. in acut.* Vel Siniſtra, vel Dextra: vel Poſtica vel Lateralis. *Hipp. lib. 3. de morb. 2.* *A Cauſis* eſt vel Sanguinea, Knolioſa, Pituitoſa, Melancholica, Seroſa: vel Maligna, vel Benigna. 3. *Ab Adjunctis* vel Ἄπτυστος & Sicca, vel Humida & mollis *Gal. l. 1. de criſ. & 5. d. l. aff. c. 2.* vel Primaria vel Secundaria: vel Solitaria vel Complicata, &c.

XII. Signa, quibus Pleuritis dignoſcenda eſt, duûm potiſſimùm ſunt generum *Diagnoſtica* & *Prognoſtica*. *Diagnoſtica* ſunt vel Pathognomonica & Pleuritidi propria, vel Συνεδρεύοντα ſeu cum aliis affectibus communia. Ex utriſq; alia Morbum, alia cauſam, alia partem affectam reſpiciunt, alia Pleuritidem à congeneri quolibet affectu diſtinguunt.

XIII. Diagnoſtica Παθογνωμονικὰ à *Galen. 5. d. loc. aff. c. 3.* quinque recenſentur, quorum in definitione facta mentio. Primum eſt *Dolor* lateris *Punctorius*, qui in inſpiratione potiſſimùm excruciat ac à vehementi Pleuræ tenſione, quam arteriæ in ea conſi-

conſiſtentes ſanguine turgidæ efficiunt, oritur 2. *Febris* acuta continua ex inflammatione ob cordis viciniam, rariùs ſymptematica, utplurimùm eſſentialis. 3. *Tuſſis* frequens admodum & brevis: frequens propter naturæ moleſta quævis reſpirationis inſtrumentis impacta expellere nitentis impetum, vel materiæ impactæ acredinem & copiam quæ & ipſæ vellicando excretricem irritant: Brevis ob dolorem. 4. *Reſpirandi difficultas*, tum ob uſum auctum, cujus ratione reſpiratio crebra fit, quæ parvitatem in hoc morbo notabilem compenſat; tum ob pulmonum aliarumque reſpirationis viarum obſtructionem. 5. *Pulſus* durus ob arteriæ ſiccitatem & duritiem, quem membranoſæ partis inflammatio & Febris introducunt, Præceptor *l.1.de feb.diff.c.7.* ob eandem duritiem creber quoque eſt, & cum materia inæqualiter pleuram afficiat, inæqualis & ſerratus redditur.

XIV. Συνεδρεύοντα ſigna ſunt dolor latè vagans; ſputum coloris varii, ſitis intenſiſſima, delirium, capitis dolor, moleſta temporum pulſatio, vigiliæ immodicæ, cibi appetitus dejectus, inquietudo & anxietas corporis, rigor, &c

XV. *Partem affectam* produnt, actio læſa & quidem depravata, dolor lateris pungitivus inflammatarum membranarum proprius. *Galenus 2.de loc.aff.c.5.* eas ita affici tradit, tanquam ſi dolor ex centro ad circumferentiam diffunderetur; Decubitus item in partem affectam tollerantia. Vtrum verò membrana quàm muſculi potiùs afficiatur, pulsûs declarabit differentia: hæc etenim magis, illi minùs arteriam indurare valent.

XVI. De *Cauſis* loquuntur ſigna tum generaliora, à Temperamento victûsque ratione ægrotantis,

ab

ab anni item tempore, regione & ſimilibus petita: tum Specialiora, quæ uniuscujuſque humoris morbum committentis ideam depingunt. *Sanguini* cauſæ morbificæ nomen deberi probant: Sputum rubrum & ſanguinolentum, dolor cum pungente tenſivus, venarum frontis & temporum à ſanguine diſtenſio, faciei rubor, pulſus plenus, urina rubra & craſſa, &c. *Bilioſum* ſanguinem accuſant: Sputum flavum, febris ardentior, ſitis inextinguibilis, pulſus velocior, dolor pungens acutior, vigiliæ, inquietudines, oris amaritudo, urina tenuis & intensè flava. *Phlegmaticum* ſanguinem arguunt, Sputum album viſcidum & ſpumoſum, febris remiſſa, ſitis pauca, ſalivæ excretio multa, dolor remiſſior & gravativus, ſomnus profundior, pulſus parvus & minùs durus, urina craſſa & pallida. *Melancholicum* ſanguinem oſtendunt: Sputum nigricans & ob tenacitatem tardius procedens, dolor ac febris remiſſior, tuſſis ſicca, urina rubea, obſcura, lingua nigredine tincta ſimulque aſpera, alvus adſtrictior, &c. *Seri* cauſæ morbificæ rationem induentis ea ferè ſigna ſunt, quæ bilem peccantem ſuprà demonſtrârunt. Cauſæ hæ, an malignitatem ſibi conjunctam habeant manifeſtum evadet, ſi quæ aliàs in hoc morbo profuiſſe obſervata ſunt, uſurpata, opis nihil adferant.

XVII. Quoniam verò *Peripneumonia*, *Inflammatio Hepatis*, *Diaphragmatis*, *Pleuritis* item *ſpuria*, veram Pleuritidem interdum mentiuntur, hinc quâ ratione ab invicem diſtinguantur, tradendum reſtat. Differt Pleuritis vera 1. *à Peripneumonia*. α. *Dolore* qui remiſſior ac minùs pungitivus. β. *Febre* quæ intenſior eſt. γ. *Reſpirandi* difficultate, quæ major, crebrior, difficilior. δ. *Pulſu* qui inæqualis, inordinatus, magnus ſed

langui-

guidus, non adeò durus. 6. *Tuſſi* quæ utplurimùm humida, ſed perpetua, ſiti quæ major eſt, oculorum fervore, intumeſcentiâ, expanſione narium, exertione linguæ: decubitûs frequentiori mutatione, cùm neque ſtare, neque ſedere neque decumbere fere æger poſſit. *Hipp. 2. & 3. de morbis.*

XVIII. *Ab inflammatione* Hepatis. II. differt 1. Loco ſiquidem in dextro Hypochondrio durities, tumor Lunæ ſpeciem referens. 2. Pulſu qui crebrior, undoſus, tenſus, durus. 3. Dolore gravativo, parenchymatum proprio. 4. Colore faciei, quæ peſſimè colorata. 5. Tuſſi ſiccâ, non tamen aſſiduâ. 6. Reſpiratione quæ difficilior, &c. Alvi excrementa loturæ carnium ſimilia, urina coloratior, decubitus in utroque latere difficilior.

XIX. A *Diaphragmatis* Inflammatione III. Pleuritidem diſcriminant: Dolor non latus, ſed thoracem medium vel dorſum fatigans, ſpirandi difficultas, atque reſpiratio inæqualis, nunc magna, modò parva, frequens, delirium, frequens anhelitus &c.

XX. *Mendoſam* denique à vera Pleuritide hæc diſcernunt: Symptomata omnia ſunt mitiora. Febris vel nulla, vel remiſſior eſt, Tuſſis nulla, nullaque expuitio, decubitus in latus affectum difficilis, facilis in ſanum. *Gal. 5. de loc. aff. c. 2.* dolor vagus, neq; aſſiduus, ſed per intervalla recurrens &c. Et hæc de Διαγνώσει.

XXI. Πρόγνωσιν quod concernit, licet Pleuritis in eorum morborum cenſum veniat, in quibus, ut Hipp. II. 19. loquitur, οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, οὔτε τοῦ θανάτου οὔτε τῆς ὑγείης, attamen, cùm non deſint ſigna ex quibus eventum vel ſalutarem, vel exitioſum ſuſpicari liceat, talem eam formabit Artis & Naturæ miniſter Medicus, quæ primùm de Morbi eventu, de

 even-

eventûs dein tempore,& tandem de ejusdem modo ſtatuat.

XXII. Atque *Eventûs* primùm ratione, καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας in ſalutis ſpem eriget, ubi virium morbo prævalere robur ex actionum Naturalium, Vitalium & Animalium ritè inſtituto examine intellexerit, ſi ſecus, mortem præ foribus minabitur. Bonum eſt ex Sententia Dictatoris *Coac.393.* φέρειν ῥηϊδίως τὸ νόσημα, τῆς ὀδύνης ἀπηλλάχθαι, τὸ πτύαλον εὐπετέως ἀνάγειν, εὔπνοον εἶναι· καὶ πρὸς τοὺς ὕπνους, ἱδρῶτας, οὔρων διαχώρησιν χρηστὰ γίνεσθαι. Mortem τἀναντία τούτων ſignificant. Sic Πᾶν πτύαλον μὴ λῦον τὴν ὀδύνην πονηρόν· λῦον δὲ, χρήσιμον. *Coac.391.* Hipp. Pulſus in Pleuritide multùm durus, parvus & frequens, certiſſimus mortis index *Gal.4.de præſag.ex pul. c.5.* Quæ malignitatis labem ex aëre inquinato contraxit Pleuritis, ſiniſtri ut plurimùm ſolet eſſe Ominis, & quæ ab humore melancholico provenit, in majus vitæ diſcrimen ægrum præcipitat, quàm quæ à Pituita. Mitior eſt quæ à bile, mitiſſima omnium, quæ à puro ſanguine ortum traxit. Quæ unum modò latus occupat, idque dextrum tutior eâ, quæ vel ſiniſtrum, vel utrumque occupat, eſſe ſolet. Denſis operique dicatis corporibus facit ad interitum. Prægnantibus, Senibus, ut & iis, quibus aliquoties recurrunt, Cachecticis item & Aſthmaticis lethales ſunt Pleuritides. Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπλευμονίη ἐπιγινομένη κακόν. *ſ.7.aph.11.* Hipp. Ὑπὸ πλευρίτιδος ἢ ὑπὸ περιπλευμονίης ἐχομένῳ διάρροια ἐπιγινομένη κακόν κλ. S.6.aph.16.

XXIII. *Tempus* Eventûs quod attinet, Ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχύνει, ἢν δ᾽ ὕστερον ἐπιφαίνηται μηκύνει Hipp. I.12. Sputum in morbo laterali, ubi tertio die expui cœperit θάσσους ποιεῖ τὰς ἀπολύσιας Coac. prænot. 385. Quibus confeſtim excretiones cujuſvis ſunt generis & dolores admodum acuti, ii

tertio

tertio die moriuntur, quem ſi effugiunt convaleſcunt. *Hipp.* περὶ παθῶν. Quibus circa initia in totum purulentæ ſunt expuitiones, ii tertio aut quinto die moriuntur. Quos ſi ſuperent, nec multò rectiùs habuerint, ſeptimo, aut nono, aut undecimo ſuppurati fiunt. *Hipp.Coac.prænot.379.*

XXIV. Quoad *Modum Eventûs* Pleuritis vel reſolvitur, dum materia per inſenſilem tranſpirationem exhalat; vel excernitur per ſputum, urinam, alvum &c. vel in alium degenerat morbum. 1. ἐκπυήσει *ſeu maturatione* in ſuppuratum. 2. *Translatione materiæ* in alium locum, ſive per ἐπιῤῥύσιν ſive μετάπτωσιν. v. g. cùm in Cauſum tranſit & Empyema. *l.1.de morb.* In Phthiſin *5.aph.15.* In peripneumoniam *7.aph.11.* in Phrenitidem & Coma. *Hipp.1.prorrhet.ſ.3.* In Diarrhœam *6.aph.16.* In Parotides, Fiſtulas, Sphacelum, abſceſſus, *2.Prog.* Aliosque morbos plures, v.g. *Inflammationem Diaphragmatis, Mediaſtini, Orthopnœam, Paralyſin, Syncopen, &c.*

XXV. Excuſſis iis, quæ ad affectûs theoriam neceſſaria videbantur, ad medendi Methodum progredior, in qua *Indicationes* deinceps agendorum leges ponent. Indicationes autem iſtæ in triplici ponuntur differentia; vel enim *Curatoria* eſt, quæ morbum, intemperiem ſc. cum materia, tollendam; vel *Præſervatoria*, quæ cauſas, id eſt, ſanguinem influxum, influentem & influxurum, amovendas; vel *Vitalis* quæ, Vires tuendas præcipit. *Morbus* eſt inflammatio, quæ prout eſt intemperies calida, refrigerantia indicat, aucta verò magnitudo, quia ad ablationem cauſæ ſtatim tollitur, ex arte nihil indicat. *Cauſa*, quæ ſanguis vel *fluxus*, nondum tamen parti *impactus* ſed in vaſis adhuc fluctuans, *Derivationem*, ſi verò jam *im-*

pactus eſt. *reſolutionem*, exigit. (Abſtinendum hìc ob cordis viciniam & inflammationis gravioris metum, à *repellentibus* & *intercipientibus*) vel *fluens*, vel *fluxurus*, quorum utrique *Revulſio* debetur. Quæ cauſæ morbificæ naturam induunt ſymptomata, mitigationum ſui per appropriata expoſcunt. *Virium* ante omnia exquiſitiſſima ineatur ratio, quas collapſas, alimentis probis & medicamentis corroborantibus reficere omninò neceſſum eſt.

XXVI. *Indicationibus* præfatis, remediis ſat quidem multis, ſed illis omnibus non æquè accommodatis ſatisfieri poteſt. Præſentaneum & perutile, ac primum remedium V.S. eſt, de cujus in affectu noſtro decenti adminiſtratione, prolixæ plurimorum exſtant altercationes, quibus brevitatis ſtudio neglectis, in affecto latere eam adminiſtrandam eſſe, ſuſtinemus. De tempore inſtituendæ V.S. moroſiùs non ambigerem, ſed quacunque hora vocatus, celebrandam ſuaderem, etiam gravidis, puerperis, ſenibus & pueris, conſideratis tamen conſiderandis. Detrahendi ſanguinis menſuram optimè definivit Hippocrates *l. de rat. vict. in acut.* Καὶ τὸ δ' ἀφαιρέειν δὲ κατὰ τὴν τοῦ σώματος ἕξιν, καὶ ὥρην, καὶ χροιὴν, πλείον, καὶ θαρσέων. Κὴν ὀξὺ τὸ ἄλγημα ᾖ, ἄγειν πρὸς λειποψυχίην.

XXVII. Sed quia Vires languidæ, ægri habitus rarus ac valde reſolubilis, tempus quoque Anni æſtivum, calidiſſimum &c. generoſum V.S. reſpuunt remedium, ejus defectum cucurbitulæ ſcarificatæ, hirudines item applicatæ, optimè ſupplebunt.

XXVIII. Præſidia hæc Chirurgica excipiant *Pharmaceutica*, quæ tum *Evacuantia*, tum *Alterantia*; atque hæc Reſolventia, Diſcutientia, Attenuantia, Incidentia, Detergentia, Expectorantia, & ſi ſuppuratio,

ratio,quæ omni ſtudio impediri debet,prohiberi non poſſit, Maturantia in uſum vocabuntur.

XXIX. *Purgantia* Medicamenta, cùm febrem & inflammationem augeant,exulare hîc penitùs decet. Si tamen in uſum vocanda ſint, ex mitioribus conſtabunt v.g. ex manna,caſſia,ſennæ foliis &c. *Vomitoria* hìc meritò proſcripſero,utpote pectori languido infenſiſſima. *Alvus* ut faciat officium ænematibus ſollicitanda,compoſitis, ex Rad.alth.lil. alb. liquiriz. Herb.emollientibus, ſem.lini,fœnugræc.Ficub.Flor. chamomillæ,diſſolvantur in iis Elect. Cathol. Ol.chamomill.lin.lill. alb. &c. Suſpecta ſint *Opiata* & *Narcotica* omnia, vel ſi ob ſummi doloris exigentiam uſurpanda,parca manu exhibeantur.

XXX. *Alterantia*,quorum in affectu noſtro proficuus admodum uſus ad febrem, morbum,ejuſque cauſam dirigantur. Ratione febris propinanda ſem. 4.frig.maj. papav. alb.in emulſione cum ſyrupo violato. Alterantium commodiſſima forma eſt juleporum, qua & febri & morbo commodiſſimè reſiſtimus. *Antipleuritica* longo uſu probata in uſum hic vocanda, qualia ſunt: Sem.Card.bened.& Mariæ Cortic.avell. rubr. dens apri.mandib. Lucii piſcis. Ocul. cancri.lap.perc.&c.

XXXI. *Expectorantium* hîc ſummopere commendandus uſus.quorum plurimæ exſtant formulæ: *Eclegmata Tabellæ,Trochiſci,Olea Syrupi,Pilulæ Hypoglottides dictæ.*Ex horum cenſu,ſi materia craſſa & lenta recipiantur. *Fol.*marrub. ſcab. tuſſilag. betonicæ botrioſ. capill. ven.pulmonar.mac.hyſop. *Rad.* liquirit. ariſtol. rotund. pimpinell. fœnic. helen. dracunc. Scabioſæ, Saponar. *Syrupi* de hyſopo glycyrrhyza. Si tenuis illa conveniunt.*fol.*portul.malv. alth.endiv.ſcariolæ. *flor.*

 pap.

pap.rhead. cyani,roſ. *ſem*. 4. frig. maj. & min. papav. portul. malv. altheæ, pſyllii. *Rad*. alth. ſcariol. endiv. bugloſſ. *Decoct*. pectorale flor. & fr. Cremor. ptiſanæ hord. & tritic. *Syrup*. de jujub. papav. rhead. albi, viol. *Lohoh* de portulaca. *Spec*. diatrag. fr. Conſerv. papav. errat. *Diuretica* ſi materia ad ductus urinarios vergere videatur, ſunt utilia, atque ex iis commendant Decoct. 5. rad aper. Cic. rubr. Terebinth. Capill. Ven. adianth. ſem. 4. fr. maj. Glyccyrr. &c.

XXXII. Poſt hæc ad Externa, Topica veniendum eſt. Horum alia mitiora, corporibus mollioribus pueris, fœminisque proficua: ol. viol. amygd. dulc. unguent. dialth. Alia mediocria: chamæmel. aneth. hyſſop. ſem. lin. fœnugr. Alia robuſtiora viris & robuſtioribus admovenda: Sal dict. cret. gall. ſinap. Atq; ex his fiunt *Fomenta, Inunctiones Cataplaſmata, Sacculi, olea, &c.*

XXXIII. Rupto tandem abſceſſu, quando aliter fieri non potuit, ſi materia purulenta in pectus exonerata, evacuari non potuit, lateris compunctio intra tertiam & quartam coſtam eſt inſtituenda, numerando cum Hipp. ab infernis, in reliquis, ut in empyematis curatione procedendo.

XXXIV. Victus tandem ex Fonte *Diætetico* præſcribendus eſt tenuis: Cibi ex carne pull. gall. piſc. ſaxat. exhibeantur: Potus ſit aq. hord. vel decoct. pectorale. Vino abſtineat, febre ceſſante, conſuetudine ejus uſum exigente, ſit oligophoron: Potus actu non frigidus ſit: omnia ſalſa, acria, acida vitentur, Aëre vivat ad frigus nonnihil inclinante: Somnus circa initium parcior, poſtea liberalior: Vigiliæ omninò obſunt; Motus animi & corporis vehementiores ſtudioſè caveantur. Alvus leniente ænemate in officio continenda.

καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.